



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 1. Cardinalis Noaillius ad acceptandam Constitutionem Unigenitus  
vehementer sollicitatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

## LIBER CCXXIV.

BENEDICTUS XIII. PONTIFEX MAXIM.  
CAROLUS VI. ROM. IMP.

### §. I.

*Cardinalis Noaillius ad acceptandam  
Constitutionem Unigenitus vehe-  
menter sollicitatus.*

Postquam Cardinalis Noaillius me-  
liuscule sese habere cæperat, nil  
intentatum reliquerant ejus Amici,  
ut illum Sacræ Sedi per debitæ sub-  
missionis obsequium reconciliarent.  
Præprimis minitabantur nonnulli,  
ipso etiam invito adjungendum esse  
Coadjutorem, & Pontificem contra  
ipsius Instructionem proxime editurum  
Constitutionem, qua ejus, uti olim  
Quesneili errores damnarentur. Ex-  
ponebant alii, Præfulum quampluri-  
mos in præfatam ejus Instructionem

Dd 2

ves

Sæc. XVIII. A. C. 1727. vehementius exardescere, jamque  
 prælo parata habere sua, ut vocant,  
mandata, quibus Noaillii doctrinam

acriter impugnarent. Urgebant alii  
**Cardinalem**, ut tandem ad summi  
 Pontificis & Sacrae Congregationis  
 mentem, suam vulgaret declarationem,  
 cujus quoque ideam conficiendi nego-  
 tium in sese receperat Couetus Cardi-  
 nali alias amicissimus. Ad hæc Noail-  
 lius sese haud difficilem quidem exhi-  
 buit, displicuit tamen Coueti idea,  
 eoquod in ea omnes illi, qui Constitu-  
 tionem nondum recepissent, vehemen-  
 tius objurgarentur, nimisque aperte  
 decideretur, Bullam *Unigenitus* pro  
 Regula fidei esse habendam; quapro-  
 pter Pater de la Borde aliud protulit  
 scriptum, in quo declaratum, hac  
 Constitutione nequaquam veritates fi-  
 dei damnari, sed duntaxat exigi, ut  
 ore & corde credatur, quamlibet ex  
**Cl. Propositionibus** promerita censura  
 fuisse perstrictam, Perlecta hac idea  
 Noailius illam P. de la Tour supremo  
 Patrum Oratorii Præposito, Vivantio  
**Cancellario**, Coueto, Guereto, aliis-  
 que communicabat, ut hi suam desu-  
 per mentem aperirent. Ex his igitur  
 Vivantius & Gueretus opponebant,  
 haud sufficere, ut crederetur, quod  
**Constitutio fidei veritatibus non ad-**

*ver-*

versetur, & quod Quesnelli errores  
merito damnati fuissent, sed insuper  
exprimendum esse, quod ea ab universa  
Ecclesia fuisset acceptata, & quod  
Noaillius Ecclesiæ doctrinam in eadem  
Constitutione contineri palam profite-  
retur, ac denique acceptationis formu-  
lam Anno 1714. a Clero Gallicano  
factam ex integro adoptaret: Hanc  
ergo mandati ideam ita emendatam  
Pater Generalis die trigesima Januarii  
ad Cardinalem Fleurium nomine Noail-  
lii detulit: ut illam pariter Cardinali-  
bus Rohanio, Bissio, & du Luc Aquensi  
Archiepiscopo communicaret. Hi om-  
nes hoc scriptum paucis mutatis ap-  
probarunt, plura tamen adhuc corri-  
genda censuit Cardinalis Bissius; di-  
splicuit enim, quod Noaillius expo-  
suisset, ejus animam semper a schis-  
mate abhoruisse, omnique fidelitate  
Sacrae Sedi adhaesisse, errores vero,  
qui in ejus Instructione notati fuissent,  
plurimum a sua mente abesse &c. Hæc  
ergo omnia ex Noaillii scripto deleban-  
tur, e contrario Bissius aliique adhuc  
petebant, ut Noaillius suam Instructio-  
nem omnino retractaret, palamque  
profiteretur, Constitutionem *Unigenitus*  
nullatenus errori favere, minus vero  
quasdam impugnare veritates, aut  
obscuram esse. Enimvero Noaillius

Sæc. XVIII,

A. C. 1727.

Dd 3

no-

Sæc. XVIII. novas identidem correctiones in suo,  
 A. C. 1727. ut vocant *mandato* fieri ægre ferebat,  
 Cardinalis tamen Fleurius illum bono  
 animo esse jussit, monuitque, ut to-  
 tam fiduciam in eum reponeret, sibi-  
 que firmiter persuasum haberet, quod  
 ei nihil unquam sit propositurus, nisi  
 quod ipsius personæ honorificum, Ec-  
 clesiæ proficuum, & firmæ paci nece-  
 sarium foret. His erectus Cardinalis  
 Noaillius lubenter annuit, ut quicquid  
 ad finiendam hanc caussam conferre  
 judicabitur, huic scripto addatur, vel  
 dematur: Postquam igitur Noaillii  
 mandato ultima manus acceperat, illud  
 ad Cardinalem Fleurium mittebatur,  
 qui illud etiam Rohanio, Chevresio &  
 Bissio Cardinalibus necnon Aquensi  
 Archiepiscopo communicabat, habi-  
 toque unanimi eorum assensu atque  
 approbatione, inter hosce Cardinales  
 conventum erat, hoc Noaillii scriptum  
 Romam esse mittendum unacum literis,  
 quas hi tres Cardinales, & simul etiam  
 Noaillius ad Papam darent, ita tamen,  
 ut Noaillius horum Cardinalium epi-  
 stolam, & hi vicissim literas Noaillii  
 inspiciendi copiam haberent, prius-  
 quam Romam mitterentur: Attamen  
 hoc negotium, quanvis bene cœptum,  
 tunc tamen finiri haud poterat, eo-  
 quod Noaillius violenta rursus febri-

cor-

correptus, seriæ occupationi intendere Sæc. XVIII.  
 haud posset: in hac ergo rerum vicis- A.C. 1727.  
 situdine Fleuryus Cardinalis id uni-  
 cum, quod suaderet, habebat, ut  
 Noaillius sibi redditus sinceram fidei  
 suæ declarationem scriptotenus faceret,  
 qua reprimi posset calumnia eorum,  
 qui de ejus orthodoxia dubitaverint.  
 Tertia post die morbi vis adeo remisit,  
 ut Noaillius ab amicis suis admonitus,  
 petitam declarationem confici juberet,  
 eamque suo sigillo & chirographo mu-  
 nitam die septima Aprilis post recepta  
 morientium Sacra menta Ecclesiæ Ca-  
 thedralis Decano, nonnisi post ejus  
 obitum aperiendam consignaret.

### §. II.

#### *Quorundam Parisiensium Parocho- rum epistola ad Cardinalem Noaillum.*

Postquam sermo per universam Civi-  
 tatem Parisinam increbuerat, Noail-  
 lium suæ appellationi nuntium misisse,  
 & publico scripto, quod Galli *mandan-*  
*tum* vocant, Constitutionem fuisse  
 amplexatum, mox viginti circiter Pa-  
 rochi, se Noailli scriptum, quamprimum  
 illud editurus esset, impugnaturos  
 declarabant, hancque in rem que-  
 rulas ad eundem literas dabant, quas

D d 4                    die